ORATIO GENETHLIACA II.

EX CONSILIO NATALIS Dom. paulò concisius exhibens.

Morem illum ac consuetudinem satis laudabilem, (quâ scilicet solemni quâdam festivitate Natalium annuae recoluntur reversiones) Venerandae Antiquitati suos debere Natales: nemo vestrum Viri Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi, maximè Reverendi, Praeclarissimi, Spectatissimiq; Nobilissimi item Politissimiq; Juvenes, Commilitones in his Musiacarum Musarum castris strenuissimi, inficiabitur. Et certè si quis vestrum, Auditores omnium ordinum Honoratissimi, negitare id ausit: hunc, vel luculentissimis cum exemplis, tum testimoniis prisci aevi, aliter edoctum, facili negotiô ita convictum, persuasissimus sum: ut contrarium statuat, adeoq; meo adsento album adjiciat calculum. Verùm enim verò si sacras sacrarum literarum Sanctas evolvamus, passim horum Natales celebratos fuisse, legimus. Quid? Nonne in veteris Foederis libris Pharaonem, Regem Aegypti; Antiochum item Epiphanem, Regem Syriae; in novi Foederis Herodem, Judaeae Tetrarchan, Natales suos celebrasse legimus? Legimus utiq. Ceterùm si accuratiori mentis acumine profana Historiographorum monumenta perlustramus: omninò et apud totius Philosophicae Academicae Antistitem, Platonem, et apud aspernandam Atticam, Xenophontem Persas ac Medos Natalia sua celebrasse legimus. Sic Equites Romani apud accuratissimum rerum Romanarum Scriptorem, Suetonium, Natalem Augustissimi Imperatoris, Augusti, biduò solemniter celebrasse memorantur. Memorantur item apud Alexandrum ab Alexandrô gravissimum Scriptorem, Servi ejq; ac mancipia ferias quotannis in honorem callidissimi Regis, S. Tullii, Romae Tertius Augusti agitasse: eò quòd hôc ipsô die ex ancillâ progenitus, et deinceps ex infimâ conditione, annitente Reginâ Tanaquil, ad summum usq; regni fastigium elatus esset. Nec à veteri hôc more tradendo rarioris elegantiae Poëta, Juvenalis nominatim, Martialis, Ovidius, Virgilius, Horatius abludunt. Melline vobis est Auditum unum et alterum de his, quos nominavi audire Poëtam? Audite Latinorum Satyricorum facilè Principem, Juvenalem, ita namq; ille:

Moris erat, quondam festis servare diebus
Et natalitium cognatis ponere lardum.

Audite Martialem, Epigrammatum conditorem felicissimum, qui sic quidem canit:

Si credis mihi Quinte, quod mereris,
Natales, Ovidi, tuas Aprilis,
Ut nostras cerno Martias calendas.
Felix utraq; lux dies q; nobis
Signandis melioribus lapillis!
Hic vitam tribuit, sed hic amicum,
Plus dant, Quinte, mihi tuae calendae.

Audite divinissimum Maronem, in haec erumpentem verba:

Ut tamen nôris: quibus advocieris
Gaudiis: Duo tibi sunt agendae,
Qui dies mensem Veneris Marinae
Findit Aprilem:
Jure solennis mihi, sanctiorq;
Pene Natali proprio, quod ex hâc
Luce Maecenas meus affluentes
ordinat annos.

Audite et Elegiarum Principem, Ovidium:

Ecce supervacuus (quid enim fuit utile nostri)
Hic tua Natalis tempora noster adest.